

urbe profectæ sunt . Fama erat , nullam domi navem ad bellum paratam hostes habere . Erat tunc novum anni tempus , quum in altum abiere : totaque ea æstate cum autumno & magna parte brumæ procul domo abfuere : quo tempore varias hostibus clades intulerunt . Pisanus , ut diximus , onerariis domum missis , Polæ cum navibus longis una & viginti subsederat : earum quinque aliquanto aliis crassiores fuere : quas ut agiliores ad pugnam redderet (palmigatione nanque opus erat) in terram attrahi jusserrat . Interim vero Ligusticæ triremes numero quatuordecim , haud mille passus a portu repente apparuerunt : qui in illis erant , gladiis vibrantibus Venetum ad pugnam provocare . Venerant per eos dies decem aliæ in supplementum veteris classis Jaderam : de quarum adventu nihil adhuc Venetus resciverat : eas hostis post promontorium portui propinquum in insidiis locarat , jusseratque , ut injecto certamine , ubi Venetum sensim cedendo eo pertraxisset , cum strepitu & clamore cohortæ fessum hostem adorirentur . Pisanus nihil minus inesse suspicans quam insidias (quippe ante oculos omnem pristinae classis numerum habebat) jussis quinque illis quæ in littore erant , ad pugnam parari , ipse interim cum reliqua classe in hostem vadit . Utrinque ferociter concursum , pugnatumque aliquandiu ancipiti prælio . Mox vero prætoria Genuensium cum Pisani nave congressa , cadente Luciano Aurio classis præfecto (quem Donatus Zenus transfixerat) navis una profligata est : atque ita conferta pugna , Ligur non tam metu quam consilio sensim retro cedere cæpit . Ubi vero ad locum insidiarum ventum est , tum hostes cum clamore & strepitu coorti ingentem metum Veneto incussere . At quinque illæ triremes , quæ in littore ab initio fuerant ad pugnam instructæ , quia jam portu exibant , ipso ardore pugnae nihil remisso , irruentem hostem intrepide Victor excipit . Verum illi , qui auxilium lataturi erant , Ligusticarum navium numerum , suosque ab hoste circumventos conspicati , pugnam detrectantes continuo Venetias versus fugam capessunt . Tum palam res Veneta